Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8252
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

a Desiderio desideravi hoc pascha
manducare vobiscum antequam patiar
p Mgſt feria vi Secundum Johannem
In illo tempore Collegerunt
pontifices et pharisei con-
cilium et dicebant Quid faci-
mus quia hic homo mul-
ta signa facit Augustinus
Pontifices et pharisei
quia sibi consulebant
nec tamen dicebant credamus
amplius ei poterant homines cogitabant
quomodo nocerent ut perderent quam quomodo
sibi consulerent ne perirent Et ta-
men timebant et qui consulebant
Dicebant eum quid facimus quia
hic homo multa signa facit
Si dimittimus eum sic omnes cre-
dent in eum et venient romani
et tollent nostrum locum et gentem
Temporalia quidem perdere lc
timuerunt et vitam eternam non
cogitaverunt et sic utrumque amiserunt
Nam et romani post
domini passionem et glorificationem
tulerunt eis locum et gentem ex-
pugnando et transferendo Et
illud eos sequitur quod alibi
dictum est filii autem regni ibunt
in tenebras exteriores lc
Hoc autem timuerunt ne si
omnes in christum crederent nemo
remaneret qui adversus roma-
nos civitatem dei templumque de-
fenderet quia christum contra templum
et contra ipsas patrias leges
doctrinam christi esse sentiebant
Unus autem ex ipsis caypha(s)
nomine cum esset pontifex anni
illius prophetavit dicens Vos
nescitis quicquam neque cogi-
tatis quia expedit vobis
ut unus moriatur homo pro
populo et non tota gens pereat
In diebus illis dixit Jheremias Cap
Domine omnes qui te
derelinquunt confundentur recedentes
a te in terra scribentur quoniam dereli-
querunt venam aquarum viven-
tium dominum Sana me domine et
sanabor salvum me fac et sal-
vus ero quoniam laus mea tu
es a Appropinquabat dies festus
azymorum et querebant principes sacer-
dotum quomodo Jhesum interficerent sed ti-
mebant plebem p Benedictus Oratio
Cordibus nostris quesumus domine
gratiam tuam benignus in-
funde ut peccata nostra castiga-
tione voluntaria cohibentes
temporaliter potius maceremur
quam suppliciis deputemur eternis